



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis**

**Marchantius, Jacobus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1655**

V. De Intentione Ministri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41699**

existimatione habetur legitimus Parochus, licet ob occultum impedimentum canonicè non fuerit institutus, aut occultè sit privatus à jure vel per sententiam, quæ passim ignoratur, asserunt Doctores; suppleri ab Ecclesia jurisdictionem.

## C A P U T V.

*De intentione ministri.*

I. QUAERO. *Quæ intentio requiritur in ministro?* Resp. requiri intentionem faciendi quod facit Ecclesia, vel quod Christus fecit, vel quod Christiani faciunt. Unde cum hærecici hanc habeant intentionem, ex ea parte Sacramentum Baptismi ab illis datum non reputatur dubium. Dico ex ea parte, nam forrè aliunde dubium reddi posset: nam cum dicant non esse necessarium sese alligare verbis aut formis in Sacramentorum ministerio, possent verbum aliquod essenziale in forma mutare, & sic nihil efficere. Ipsi putant solum requiri verbum concionatorium & non consecratorium, ideoque circa formam etiam baptismi,

error

error aliquis essentialis posset contingere. *Ad id* juxta relationem quorundam qui apud Calvinistas conversati sunt, quandoque contingere quod Prædicans è sua cathedra peracta cõ-  
 cione pronunciet verba ad baptifandum: inferiori verò loco alius quispiam aspergat aquâ puerum, qui baptifmus vel nullus vel dubius foret. Hinc non mirum si ob has & alias rationes aliqui Episcopi curent sub conditione rebaptifari ab hæreticis baptifatos.

2. *QUAERO. An requiratur intentio actualis?* Resp. sufficere virtualem, quam habet is, qui ex virtute actualis intentionis quæ præcessit, procedit ad opus. In processu ergo operis cõsetur manere virtute, quia non est revocata per aliquam contrariam intentionem. Sic qui se intentione actuali parat ad sacrum, & hostias ad consecrandum disponit, licet postea distrahat in consecratione, nec cogitet actualiter de hostiis ibidẽ præsentibus nihilominus cõsetur cõsecrare, & habere

bere intentionem virtualē: quia virtute permanet prior intentio, ex qua se applicavit ad sacrificiū & Sacramentū conficiendum. Consulendum verò, ut quisq; quantum in se est, actualem intentionem renovet circa consecrationem, aut in alio Sacramento dum formam pronunciat, & materiā applicat, quia illa perfectior est. Reprobamus tamen hic modum agendi quorundam scrupulorum: tunc repetentium: *Volo consecrare: Intendo baptizare: volo hoc vel illud in hac actione agere.* Hoc enim non est necessariū corde vel ore dicere; sed est verè actualis intentio, dum tu tibi actualiter es præsens, & animo attendis ad id quod peragis. Hæc vocatur actualis intentio in actu exercito: illa autem prior dicendo, *Volo, Intendo,* est actualis in actu signato: sed non est necessaria, quando prior illa adest, estq; superflua & impertinens si sit cum anxietate conjuncta, ut aliquibus contingit.

3. *QUAERO. Quam intentionem debeat habere minister circa personam aut materiam?*

iam? Resp. 1. quantum ad personam  
 suscipientem, debet intendere admi-  
 nistrare Sacramentum huic personæ  
 præseti Vnde licet error materialiter  
 contingeret circa illam personam, va-  
 let Sacramentum, v. gr. putat esse filiū  
 Pauli, & est filius Petri, putat esse ma-  
 rem, & est fœmina. In matrimonio ta-  
 men contrahentes qui sunt ministri,  
 rectè determinant suam intentionem  
 ad determinatam personam: ita ut si  
 esset alia, nullum esset Matrimonium,  
 quia est contractus onerosus, in quo  
 iusta de causa limitatur consensus pro  
 hac persona, & non pro alia. Resp. 2.  
 quantum ad materiam, in Eucharistia  
 debere illam determinari per inten-  
 tionem ministri. Quare si quis ante se  
 haberet decem hostias, & non inten-  
 deret consecrare nisi quinque in con-  
 fuso nihil faceret; quia cur potius hæc  
 quam illæ essent consecratæ, si nõ de-  
 terminarit intentionem ad has specia-  
 liter præ illis? Non est tamē opus, cum  
 vult plures consecrare, ut numerum  
 determinet, sed recta intētio erit, velle

consecrare quas ibi ante se præsentes habet & præparatas. Vnde hæc intentio consulenda est Sacerdoti. Et cum supponamus illam communiter ab illis haberi, ex illa resolvendi sunt casus sequentes.

1. *Casus.* *Quid dicendum si Sacerdos putet se habere unam tantam hostiam, & revera inveniat se habere duas, quia una alteri coharebat?* Resp. utramque esse consecratam, quia ejus intentio est, quod præsens est, & ut consecretur appositum, consecrare, quam intentionem non destruit privata deceptio. Dices, ille non voluit consecrare nisi hostiam quam videt, unde si latebat altera sub illa, ejus intentio ad eam non pertigit. Resp. si ita præcisè habuisset intentionem, ut dicitur, concedo quod opponitur; sed dicimus hoc ordinariè non fieri; nec debere fieri.

2. *Apponit Clericus ministrans aliquot hostias in parte extrema corporalis, ut consecrentur pro aliquot communicantibus: sed non monet hujus rei Sacerdotem; aut si monuit*

Sacer

Sacerdos non intellexit quid vellet, unde nec advertit illas præsertes: quaeritur, an censeantur consecratae post verba cōsecrationis? Resp. nō esse, quia non habuit intentionem unquam actualē circa illas, quapropter nec virtualē nunc censetur habere: sed quod præsens præ manibus habet, solū censetur velle cōsecrare; cū de aliis ibidem existentibus ne suspicetur quidē, nec tunc cum consecrat, nec antea. Aliud foret, si postquā ipse aliquot ibi consecrandas apposuit, alius quispiam etiam ipso non admonito, aliquot superaddat: intentio enim fertur ad cūmulum, hostiarum ibi præsentium, non limitatē ad eas quas apposuit.

3. Accidit cuidem Parocho in die Assumptionis B. Marię in quo magnus populus ad communionem se parabat, quod post offertorium procedens ad concionem, dixerit matriculario, ut notabilem, numerum hostiarum in altari collocaret, ad consecrādum pro communicantibus. Ille præparat, & in fine altaris collocat, ut sacerdos re-

T s diens,

diens, eas videns, super corporali pos-  
 sit illas disponere. Sacerdos regressus,  
 non advertit, donec post consecratio-  
 nem & post Memento, defunctorum,  
 eas ibi relictas cōspicit. Quid ageret,  
 anxius est. Plebis meminit quæ vult  
 communicare, illas hostias non pu-  
 tat consecratas, quod si communio  
 non detur, scandalum timet. Ipse igitur  
 apponēs occulte illas hostias cor-  
 porali, iterum pronunciat formam  
 consecrationis Quæritur hic *primo*, an  
 illæ hostiæ non erant cōsecratæ Quæ-  
 ritur *secundo*, an poterat iterum for-  
 mam pronunciare & consecrare? Ad  
 primum *respondeo* non censeri conse-  
 cratas, quia ejus intentio non cense-  
 tur se porrigere ad eas in tali loco cō-  
 secrandas, cum non censeatur voluisse  
 peccare, peccaret autem consecrando  
 sic super nudam mappam appositas.  
 Ad 2. Resp. etiam posse excusari à pec-  
 cato iterum cōsecrando, tum quia sic  
 putavit remedium adhibendum scan-  
 dalo; tum quia non existimanti qui-  
 dem consecratas formido aliqua levis  
 de

de op  
 bar,  
 tum d  
 inops  
 pleni  
 prude  
 terim  
 casu i  
 foret;  
 tamqu  
 dus po  
 rō his  
 eadem  
 crare,  
 Quæ  
 ritior  
 rem: A  
 cation  
 © Pr

I. C  
 tismo  
 Ad E  
 siocu

de opposito occurrens, anxium redde-  
 bar, quid de illis hostiis foret agendū;  
 tum denique, quia in tali subito casu  
 inops consilii, nec hærere valens ad  
 plenius rem examinandam, egit quod  
 prudentia hic nunc ei suggerebat. In-  
 terim difficultas manet, quid simili  
 casu iterum occurrente peragendum  
 foret; an relinquendæ ibi illæ hostiæ,  
 tamquã non consecratæ, & relinquen-  
 dus populus sine Communione: an ve-  
 rò his pronuncianda forma, durante  
 eadem Missâ, cùm hoc sit bis conse-  
 crare, & per consequens bis sacrificare.  
 Quâ de re mihi satis dubia lubens pe-  
 nitiores Theologos resolventes audi-  
 rem: *Vide ad pleniorẽ hujus casus expli-  
 cationem quæ habet Diana ex Gamachæo*  
 Præposito p. 5. tract. 14. Resol. 19.

## CAPUT VI.

*De suscipiente Sacramentum.*

I. **Q**UAERO Quæ dispositio requira-  
 tur in suscipiente? Resp. in Bap-  
 tismo & Pœnitentia sufficit attritio.  
 Ad Eucharistiam requiritur Confes-  
 sio cum contritione vel attritione: ni-  
 si ubi